



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

11. De libidine membrorum, & conjugio primorum hominum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

iam fuit? Et videbant illi homines fructum ligni prohibiti & concupiscebant? Neque per visum tantum & gultum, sed per ceteros etiam sensus naturalem fuisse animo sentiendi libidinem, aperte profitetur: *Naturalem esse omnium sensuum voluptatem testimonio universitatis docemur. Vbi per voluptatem more suo libidinem intelligit. Mox enim exponendo subiicit, hanc autem voluptatem & concupiscentiam &c. Quam etiam continuò affectionem naturalem vocat. Nisi enim naturalis esset illa per omnes sensus concupiscentia & libido eum ante peccatum: à Deo collata diceretur, consequens esse ex illa abbat, ut sensum videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, atque tangendi non à Deo sed à diabolo nobis fateremur esse collatum, nimirum ut Augustinus observat, hic ignorabat vel ignorare se fingebat per quemlibet corporis sensum aliud esse sentiendi vivacitatem qua verum à falso in rebus corporalibus magis minusque discernimus, aliud sentiendi libidinem, que nos ad sentiendum etiam repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit. De ceteris animi cupiditatibus seu libidinibus, excellentiæ honoris & gloriæ; ceterarumque rerum five corporalium five spiritualium eadem sine dubio omnium apud eos ratio fuit. Omnes enim huiusmodi tanquam naturales & innocentes affectiones, ut Iulianus huiusmodi motus vocat, ad objecti quasque sui presentiam per se ipsas ex bonitate naturæ pullulantes protopla-*

stis tribuere cogebantur, nisi vellent notissimis suis principiis dissonare. Si enim sensus externi diabolum autorem habere censendi sunt, nisi libido sentiendi naturalis Deoque autore collata sit, voluntas etiam & intellectus eodem opprobrio aspergenda sunt, nisi cupiditates eorum quas diximus ab ipso creatore insertæ stantur. Neque de hac re inter hominem stantem & lapsum posterofque ejus ulla differentia, five libidines ut concupiscentias animi spectes five reliquas animi passiones: Eodem enim prorlus modo tam ante quàm post peccatum humanam naturam istis omnibus perturbationibus agitata atque obnoxia fuisse, docuerunt. Generale quippe inter Pelagianos principium, certissimumque fuit, illud esse hominibus naturale quod etiam post sublatam Baptismo culpam, collatamque Christi gratiam perseverat. Alioquin, inquit Iulianus, grande testimonium imbecille artis nihilque profutura, nec locum aegritudinis invenisse, & languentibus everisique naturalibus inertia fomenta voluntatis admovisse. Et unus ex capitalibus eorum erroribus fuit: *infantes nuper natos in eo statu nasci, in quo Adam ante prævaricationem fuit: quos tamen omnibus huiusmodi cupiditatibus obnoxios esse, & simul ac tantillum adoleverint & ratione uti ceperint perturbari solere compertissimum est.*

Ibid. f. 100.

Lib. 4. cont. Jul. c. 14.

Ibid.

Lib. 1. operis imperf.

Vide lib. 1. operis imperf. fol. 292. 1699. l. 1. f. 344.

Lib. de gñ. Pelag. c. 11.

De libidine membrorum & conjugio primorum hominum.

C A P V T X I.

NEQVE verò animi tantum sed etiam corporis illam vulgatissimam primis hominibus ab iplo creatore insitam fuisse, & in paradiso viguisse docuerunt. Testis est multis in locis Augustinus: *Et non erubescis istum morbum, vel quod tu quamvis pudibundus saceris, istam libidinem introducere in paradysum, & tribuere conjugibus ante peccatum. Et iterum: Naturalem esse libidinem & ego dico, quia cum illa nascitur omnis homo, & tu multo amplius, qui dicit, quod cum illa sit conditus primus homo. Nec diffitetur suam sententiam Iulianus, sed fronte perfricta ne vel invitus pudore suffunderetur, his verbis expressit: Non enim dictum est erunt duo homines in homine uno, sed erunt duo in carne una, quo unitiois nomine voluntas illa coeuntium & libido qua sensum afficiens membra consistunt, ac sicut ille prudens intellexit, unam carnem gestis efficere, à Deo instituta & corporibus ante peccatum docetur inserta. Nihil enim in corporibus vel corporis libidine credebant per peccatum esse vitiatum. Vnde non tantum imperiosam illam libidinem, sed etiam scèdissimam istam à spiritu disensione paradisi incolis tribuebant. Augustinus: *Verum vos pro suscepta vestra tam fideliter laboratis ut vim patiamini, nisi eam qualis nunc est etiam in paradiso col-**

loceris, non ibi de peccato dicentes talem factam, sed talem nullo peccante fuisse manseram, cum qua in illa pace dimicaretur aut ne dimicaretur, quotiescumque surgeret expletetur. In quam effrontem opinionem stomachando merito exclamat, O sanctas paradisi delicias, O frontem qualiviscunque piscoporum! O fidem qualiviscunque castorum! Sed sententiam istam ruinosam rationibus nonnullis ex Philosophia accersitis armabant & fulciebant. Primò, quod esset membris inserta naturaliter. Proinde affectio naturalis & innocens dummodo intra litem concessorum teneretur. Secundò, quia futurus erat concubitus est peccatum non præcessisset. Itaque, inquit, si poterat viride membrum & antea moveri, nihil ergo novitatis invexit delictum. Nam sine libidine membra moveri non posse tanquam ex Philosophia certissimum supponebant. Motum (inquit Iulianus) genitalium, id est, ipsam virilitatem, sine qua non potest esse commixtio, à Deo dicimus institutam. Hinc est ergò quod Augustini invernem & mollem diceret opinionem, qua creditur in paradiso ad nutum voluntatis genitalia potuisse servire. Tanto enim illi tamquam viro casto effeminatior videbatur esse animus, quanto plus habebat potestatis in corpus. Hinc eam vocabat Iulianus membrorum potentiam. Apto

Lib. 4. cont. Jul. c. 10.

Lib. 5 c. 7.

Lib. 2. operis imperf. cont. Jul. f. 268.

Lib. 4. cont. Jul. c. 11.

Lib. 1. operis imperf. f. 101.

Lib. 4. cont. Jul. c. 11. Ibid. c. 13.

Lib. 1. ad Bonif. c. 15.

Lib. 2. de nupt. & concup. c. 7.

Lib. 2. de nupt. & concup. c. 7.

fine dubio, licet præter intentionem ejus vocabulo. Quid enim potentius membris hominis, quando non seruiunt voluntati hominis? Hinc impacta Augustino calumnia quod persuaderet Deum in paradiso, quia sine libidine, æreæ constituisse coniugia. Nam de nuptijs paradisi pervicacissimè sic statuebant: Nec alia prorsus in paradiso fuit coniunctionis conditio, quam qualis

nunc in coniugis agitur: quæ à se instituta Deus tam ipsorum cõditione sexuum & qualitate membrorum, quam frequentata benedictione perducit. Quod eum etiam de pudenda illa membrorum libidine intellexisse planius aperit libro sequente: Ad quam (nuptiarum) conciliationem & ministerium & instrumentum pertinet à Deo instituta & benedicta sexuum cum voluptate commixtio.

De confusione primorum hominum.

CAPVT XII.

Nunc dicendum de pudore. Hunc enim tanquam individuum concupiscentiæ carnalis comitem tanquam rosam in paradiso floruisse docuerunt. Augustinus: Et tamen Iuliane tales nuptias in paradiso constituisse non te pudet ubi cõsentium confiteris pudorem. Inuictum enim putabat ille esse argumentum naturalis & concreati hominibus primis pudoris quod per baptismi gratiam à fidelibus non recederet. Docebant itaque ab ipso Deo sic membra nostra fuisse formata ut alia verecundia, alia libertate gauderem. Ad quod astruendum gentium citabant Magistrum qui ad Corinthios scribens diceret, Deum sic temperasse corpus, ut ea quæ verecunda sunt nostra majorem honestatem haberent. Vnde putabat confici, verecundiam illam seu pudorem quo tegumenti honestate quædam membra velantur ex Dei institutione prophanasse. Nihil sibi, inquit Iulianus, vel de iucunditate eius, vel de verecundia potest diabolus vendicare quali scilicet diaboli persuasione inuenta esset. Sed quia histo-

riam Genesis, de confusione post peccatum orta, secutoque exinde per perit omata tegumento, vehementer sibi obflare sentiebant, magnâ loquacitate contra sentus nitebantur omnium hominum, & eos multiloquij strepitu perstringere cupiebant. Nam in primis quia Scriptura dicit Aperti sunt oculi amborum, cum que cognovissent se esse nudos &c. Putant eos oculos prius clausos habuisse, nempe ut cæci creati fuerint sicut canes, & quod est ab irâdus non sicut canes crescendo, sed quod peccando adepti sunt visum. Deinde ita nihil inueniebat quod diceret ut aperte profiterentur, primos illos homines qui ante nudi erant & non confundebantur post peccatum, nihil illis (in membris) indecens novumque sensisse, nec opus fuisse ut vestimentis reteretur. Ex quo sequebatur ante peccatum cum essent nudi, simul in eis amicas & locias habitasse innocentiam & impudentiam. Vnde à pictoribus Augustinum didicisse ridebat, quod Adam & mulier eius pudenda contexerint, Horatium illud deantatum audire iubens

Pictoribus atque Poëtis

Quilibet audendi semper fuit æqua potestas.

Quasi quisquam pictor aut poëta tale aliquid ridendum ausus fuisset fingere quale Iulianus credendum, ausus fuerat disputare ut scilicet tanta innocentia, tanta impudentia jungeretur.

Itaque ut perizomata quibus se texerant post peccatum eluderet multa commemorabat quæ in nostro corpore naturaliter tecta sunt, ostendere nimirum volens non omnia quæ teguntur ex peccato erubescenda putari oportere. Quia ipse, inquit, epifex nosse nullum sua artis crimen agnovit, ut vitalia nostra tam diligenter occultaret. Deinde ne sola genitalia perizomatibus tecta fateri cogeretur, scriptum esse dicebat: Secerunt sibi vestimenta, vestimenta vero totius corporis indumentum intelligi posse. Quod si illi, inquit, interpretationi qua perizomata, id est, præcinctoria posuit, favetur, latera magis dicam tecta fuisse quam scrotora. En frontem hæreticam. Ita enim erat sui dogmatis amore cæcatus ut non videret, sive vestimentis totum corpus, sive perizomatibus lumbi post peccatum tegeren-

tur, utrumque fuisse vel pudoris officium, si simul cum lateribus quam spatiosissime scrotora velarentur, vel singularis impudentiæ testimonium, si nuda relinquerentur. Conditos ergo volebat homines primitus nudos, quia ad solertia humane operam ut se tegerent, pertinebat, quoniam nondum in illis fuit; tegumentumque perizomatium non pudore sed timore post delictum esse qua situm. Hinc Iulianus: Non igitur quia peccaverant, genitalia vel diabolica vel inhonestia scerunt, sed quia pavitabant, in ea qua primum fuerant honestate permanentia membra tegerunt. Nec deerat ficulneum ex scripturis folium, quod suspitioni illi prætexeretur. Cur enim (dicebat) audita voce Dei deambulantis in paradiso absconderunt se Adam & mulier eius cum perizomata sufficere potuissent si de genitalium nuditate erubescerent? Vides arbitrator non minus Pelagianos confusio nis istius post peccatum, quam primos homines ipsius peccati confessionem notuisse. Videbant enim ab ea sola toti suo cogmati et suo loco demonstrabitur interitum imminere.

De

Horat. in arte Poët.

Lib. 4. cont. Iul. c. 12.

Lib. 5. c. 2.

Lib. 4. cont. Iul. c. 16.

Ibid.

Ibid.